

Deus qui eripiat vos de manu mea ? *Dan. 3.*
 Deambulans in aula Nabuchodonosor, ait : Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ædificauit domum regni, in robore fortitudinis mex, & in gloria decoris mei ? Cumque adhuc sermo esset, vox de cælo ruit, &c. *Dan. 4.*
 Audiuit Seron quodd congregauit Iudas ecclesiam fidelium, & ait: Faciam mihi nomen, & debellabo Iudam, sed ipse contra fuit citò debellatus ab eo. *1. Mac. 3.*

DEMETRIUS filius Demetrii misit ad Ionatham dicens: Descende ad nos in campum, & comparemus illic inuicem, quia mecum est virtus bellorum. Interroga, & discite quis sum ego, &c. Sed paulò post male successit ei. *1. Mac. 10.*

NICANOR pugnaturus contra Iudam, vocauit negotiatores, promittens se daturum pro vno talento nonaginta mancipia Iudæorum. *2. Mac. 8.*

Multitudine ad arma concurrente, fugatus est turpiter Antiochus de Persepoli ciuitate Persidis, & superbe locutus est, dicens se venturum Ierosolymam & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. *2. Mac. 9.*

NICANOR interrogauit Iudæos, si est potens in cælo qui imperauit diem Sabbatorum Respondentibus illis, Dominus potens in cælo, qui constituit diem septimum, ait: Et ego potens sum super terram, &c. Vt supra præc. ca. 2. *Mac. 15.*

PETRVS valde audacter dixit domino: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Sed postea longè aliter accidit. *Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 17.*

HISTORICA.

Olim Megareses Corinthiis erant vestigales. Cæterùm cum illorum imperium insolentius grauatum ferrent, ac defectionem pararent, missus est legatus Corinthiorum nomine, qui apud plebem Megarensem cum alia multa ferociter dixit, tum illud indignabundus ac vociferans innotuit: *ὁ ἀνὸς τῶν ὀδῶν κόρινθῶν*, id est, Non feret Iouis filius Corinthus. Id ubi sæpius iteraret, concitatus populus, succclamare cœpit, Feri, feri Iouis Corinthum, simulque legatum expulerunt. Erat autem Corinthus hic Corinthiorum rex, Ioue prognatus: tamen *Pausan. in Corinth.* negat se apud auctores serios reperisse, Corinthum Iouis fuisse filium: sed vulgus duntaxat Corinthiorum ita predicare. *Erasmus in Adagijs.*

Alectryonem ducem Philippi regis, Chares Atheniensis confecerat. Cuius facti, cum nimium crebro, & nimisque insolenter apud populum Atheniensem meminisset, vulgò vsurpari cœpit prouerbium in iactabundos: *φιλίππῳ ἀλεκτρῶν*. *Erasmus in Adagijs.*

Adolescenti cuidam iactanti sese, quòd dum Rhodi esset, admirabiles fecisset saltus: quidam ex auditoribus interpellato sermone, *ἰδὲ τὸ ῥῶδῳ*, inquit, *ἰδὲ πῶδῳ*: id est, Ecce Rhodus, ecce saltus. *Erasmus in Adagijs.*

PHOCION quidem Peripateticus libro suo titulum fecit, *κέρως ἀνανδρίας*, este *Gellio*. Plinius item ostendit Græcos aliquot hanc inscriptionem nimis arrogantem suis commentariis imposuisse, tanquam nihil in eis contineretur, & quidvis inde peti atque accipi possit.

MYXVS Sacerdos quispiam fuit Dianæ, gloriosus & magniloquis, qui se fingebat omnia mirari. Hinc in superbos & gloriabundos dici consuevit *Papæ Mixus*. *Erasm. in Adagijs.*

ASTYDAMAS histrio quispiam fuit Morsymi F. Hinc statua in theatro ponenda decreta fuerat à populo, quòd in agendo Parthenopœum sese gnauiter ac scite gessisset. Itaque titulum ipse consecrasset, in quo suas laudes complectebatur, eumque in concionem attulit, vt approbatus adderetur statua. Verùm suffragiis populi decretum, ne arrogans ille titulus inscriberetur. Ea res primùm comœdiæ iocis agitata, in prouerbium abiit. Ita nunc quoque infacete vulgus dicitur, malignos esse vicinos illi, qui ipse laudator sui fuerit. Titulus extat etiamnum apud Suidam.

ἰδὲ ἔργῳ ἐν κείνοις ἡρώδῳ, ἢ κείνοι ἀμὲν ἡμίον, ἢ γλαῖος τερπίνης πρῶτῳ δὸκῶν φέρειν, ὅς ἐστ' ἀλκείνῳ ἐκρίθῳ ἀσθεδῆς παρῳμῶν ὁ. ὡν ἢ χεῖρῳ παρῳμῶν, ἢ οὐδὲν ἢ ἕχ ἐπῳτας. id est. Vixissent vrinam mecum illi, aut inter ego illos, Quos penes est lingua sua loquentis honos: Præmia prima equidem citra certamen haberem: Nunc adimunt, in quos nil habet inuidia.
Erasmus in Adagijs.

PARASIVS pictor, Ephesus, secundus artifex, sed quo nemo insolentius & arrogantius sit vsus gloria artis. Namque & cognomina vsurpauit, Habrodiatum se appellando, aliisque verbis Principem artis, & eam ab se consummatam, super omnia Apollinis se radice ortum: & Herculem, qui est Lyndi, talem à se pictum, qualem sæpe in quiete vidisset. *Plinius lib. 35. cap. 10.*

Adagium, *ἡμεῖς δὲ καὶ ῥῶδοι, δὲ καὶ ῥῆς*, id est, Nos decem Rhodienses, decem naues: natum videtur à dicto Thraonis cuiuspiam, qui decem homines, decem nauibus opposuerit. *Erasmus.*

Fertur Antalcidas Spartanus Atheniensi cuidam de virtute secum ambigenti, cum dixisset ille: Atqui nos sæpè à Cephifos vos fugauimus: occurrisse, Nos verò ab Eurota vos nunquam. Arguo item respondit Quidam ex obsecutoribus Spartiatis, cum ille dixisset: Multi in Argolide vestras iacent: At vestras in Laconia iacet nemo. Et Agesilaus re dicere consueverat, Feminam Lacenam summum non vidisset hostilem. At non multò post, victis ad Leuctra Spartanis, Epaminondas cum LXX. millibus Spartam obsedit, cum per decem annos ante hostis nullus in fines eorum penetrasset. *Plin. in Agesil.*

ARISTOPHONTEM Æschines tradit, in oratione contra Demosthenem, apud Athenienses gloriari solitum, quòd quum nonagies quinquies esset vocatus in ius, semper fuerit absolutus. At Cephalaus homo popularis iustius gloriabatur, quòd quum plura decreta scripsisset, quam alius suorum temporum quilibet orator, tamen nunquam coactus sit causam dicere. Certius innocentia signum est, ita rem gerere, vt nemo velit accusare, quàm si postulat elabari à iudicio. Elabuntur interdum & nocentes. At qui absoluitur, licet pœnam effugiat, cicatricem tamen criminis circumfert. *Erasmus lib. 8. Apoph.*

Cum aliquando Syracusis in constra sermo esset de Dionysio, dicereturque tyrannidem illius adamantinam esse & inexpugnabilem: ridens Tonfor, Hæcine, inquit, loqui nos de Dionysio, in cuius iugulo ego subinde teneo nouaculam; Quod dictum simulatque Dionysius rescisset, tonforem in crucem sustulit, atque ita quod ait Plinius, voces per iugulum rediere in auctorem. *Plin. de Eutli loquaciare.*

LYSIMACHVS rex, quum ad Thraciam peruenisset, velut occupatis extremis regni finibus, Nunc, inquit, Byzantij ad me veniunt, posteaquam cœlum attingo lancea. Eam vocem insolentissimam ita castigauit Pasiades Byzantius, qui tum fortè aderat, vt diceret: Abeamus, ne lancea mucro cœlum pertundat. *Erasmus in Adagijs.*

Lacedæmonij & Athenienses missis in Siciliam legatis petebant è Gelone Syracusano & societatem & supplicia, aduersus Xerxem bellum inferentem Græciæ. Nec recusauit Gelo, modò se imperatorem vel maritimarum rerum vel terrestrium copiarum constituerent. Quam conditionem quum repudiarent legati, iussit eos illico discedere, & renunciare Græciæ, *ὅτι ἐκ τῆ ἐνιαυτῶ τῷ ἰσῳ ἀπὸ τῶν ἐξήντα*: id est, Veri ipsi ex anno sublatum esse, subindicans, suum exercitum præcipuum esse Græciæ forem ac robur, qui si deesset, defuturum illi quod esset præcipuum. *Erasm. ex Herodoto.*

MARC. ANTONIVS III. vir ex Cleopatra Ægyptia geminos sustulit, appellauitque; vnum Alexandrum, alteram Cleopatram, cognomento hanc lunam, illum solem. Et doctus in rebus turpibus ostentare se iactabat successibus & sobole multorum regum propagatam nobilitatem. Ita prognatum genitorem suum ab Hercule: qui non vni vtero progeniem commendauerit suam, neque Solonis leges, vel iudicia de liberis tollendis timuerit: verùm nature cupierit complura familiarum femina, & fontes relinquere. *Plin. in Antonio.*

MAXIMINVS Imperator victa Germania, literas Romam ad Senatum & ad populum misit, se dictante conscriptas, quarum sententia hæc fuit: Non possum tantum P. C. loqui, quantum fecimus. Per ecce, millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnamus. Peruenissemus ad sylvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset. Quod credibile est. Quid enim est, quod non posset Barbarus miles? Pari sententia & ad populum scripsit, sed maiori reuerentia, idcirco quod senatum oderat, à quo se contemni multum credebat, iussit præterea tabulas pingi ita, vt erat bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi, vt facta eius pictura loqueretur: quas quidem

